Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

manū in cyatino. Et filius quidem hominis uadit sicut scriptum e
deo. Ve autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei
si non erat natus homo ille. Et manducantibus illis accepit ihs
panem et benedicens fregit et dedit eis et ait. Sumite. Hoc est corpus
meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes.
Et ait illis. Hic est sanguis meus noui testamenti qui pro uobis
effundetur. Amen dico uobis quod iam non bibam de generatione
uitis usque in diem illum cum illud bibam uobiscum nouum in regno dei
Et ymno dicto exierunt in montem oliuarum. Et ait eis ihs. Omnes
scandalizabimini in nocte ista quia scriptum est. Percutiam pastorem
et dispergentur oues. Sed postea quam resurrexero precedam uos in
galileam. Petrus autem ait ei. Et si omnes scandalizati fuerint sed non
ego. Et ait illi ihs. Amen dico tibi quia tu hodie in nocte hac prius
quam bis gallus uocem dederit ter me es negaturus. At ille am
plius loquebatur. Et si oportuerit me simul commori tibi non te ne
gabo. Similiter autem et omnes dicebant. Et uenerunt in prediū cui nomen
gethsemani et ait discipulis suis. Sedete hic donec orem. Et assumpsit
petrum et iacobum et iohem secum et cepit pauere et tedere. Et ait illis.
Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic et uigilate. Et
cum processisset paululum procidit super terram et orabat ut si fieri posset
transiret ab eo hora et dixit. Abba pater omnia possibilia tibi sunt
transfer calicem hunc a me. Sed non quod ego uolo sed quod tu.
Et uenit et inuenit eos dormientes. Et ait petro. Symon dormis.
Non potuisti una hora uigilare. Vigilate et orate ne intretis in
temptationem. Spiritus quidem promptus est caro autem infirma. Et iterum ab
eunte orauit eundem sermonem dicens. Et reuersus denuo inuenit eos
dormientes. Erant enim oculi eorum grauati et ignorabant quid ei